

**Praestantiam chirurgices Graecae sistens monumentum / auctore
Ludovico Sakowicz.**

Contributors

Sakowicz, Ludovicus.
Francis A. Countway Library of Medicine

Publication/Creation

Petropoli : Apud Carolum Kray, MDIIXXIII [1823]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f58tunaf>

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School, where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




E

8/2


- Net book


LB 11909
Art.

FROM THE FUND BEQUEATHED BY



J.L.S - 1903





P R A E S T A N T I A M
CHIRURGICES GRAECAE
S I S T E N S
M O N U M E N T U M.

Auctore

Ludovico Takowicza

P E T R O P O L I,
A P U D C A R O L U M K R A Y.
M D I I I X X I I I.

МАТРИЦА ДЛЯ
ИЗДАНИЯ СПЕЦИАЛЬНОГО

ПЕЧАТАТЬ ПОЗВОЛЯЕТСЯ

съ шѣмъ, дабы до выпуска изъ типографіи пред-
ставлено было въ Конференцію ИМПЕРАТОРСКОЙ
Медико-Хирургической Академіи сѣмь экземпля-
ровъ сей книги, для разсылки оныхъ на закон-
номъ основаніи.


Сп. Петербургъ, Маія 12 дня 1825 года.

ИМПЕРАТОРСКОЙ Медико-
Хирургитеской Академіи членый
Секретарѣ, Статскій Совѣтникъ
и Кавалерѣ

Яковъ Кайдановъ.

19950 Bi

23. Ah. 29



EXCELLENTISSIMO
ILLUSTRISSIMO AC MAGNIFICO
DOMINO
VIRO SUMMO AC INTEGERRIMO
J. W I L I E,
EQUITI BARONETTO
MEDICINÆ ET CHIRURGIAE DOCTORI
S. M. ARCHIATRO,

A

CONSILIIS STATUS ACTUALIBUS, ORDD. ST. ANNAE I. CL., ST.
WLADIMIRI MAGNAE CRUCIS II. CL. EQUITI; AUSTR. CAESA-
REO-REGII ST. LEOPOLDI II. CL.; REGIORUM BORUSS. AQUILÆ
RUBRAE II. CL.; BAVAR. ET WÜRTEMBERG. COMMENDATORI;
FRANCO-GALLICI LEGIONIS HONORARIAE OFFICIALI.

PER UNIVERSAS TERRAS ROSSICAS

REI MEDICO-CHIRURGICAE CASTRENsis

I N S P E C T O R I,

CURIÆ MED. SUB ADMINISTR. MILITARI

D I R E C T O R I,

IMP. MEDICO-CHIRURG. ACADEMIAE

P R Æ S I D I ,

VARIARUM SOCIETATUM ERUDITOR. SODALI HONO-
RARIO.

О ПІСЛЯДУЩІХ
ОВІДІОВИХ ОКІГАЛАТУІХ
О КІМОД
СІЛІЧІСІДА ОКІГА САУ
ПІДІЛІС
СІЛІЧІСІДА БІЛІСІН
ІЗ ПРОД ДІЮЩІЮ ТІ МІЦІДИМ
ОЛІДІІСІДА М. А.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

EXCELLENTISSIME ILLUS- TRISSIME DOMINE!

Nomini Tuo longe lateque cele-
bratissimo, Scientiis et virtutibus
ornatissimo, Meritis inclytissimo,
pagellas hasce consecrare pree-
sumsi. Tibi enim Vir Nomine
et Meritis immortalis, studia Lit-
terarum summo sunt pretio et
Ars medica quam nostro sub coelo

EXCELENTISSIME ILLIS
EXCELENTISSIME DOMINI

maximo colis ardore, Tibi plurimum debet.

Quanta sunt, quae his in rebus restaurasti, perfecisti, creasti Promotor indefesse, Fautor potentissime, Meritis Tuis emerite et promerite! Totam Scientiis et Patriae consecrasti vitam officiosissi-

mam, Decus Artis Apollineae, Mo-
derator Provinciae sapientissime !
Jam Tibi Pallas Lauream fert, In-
signe Eudoxiae sempiternum.

Faxit Numen, ut in Reipubli-
cae salutem favore Hygeae, quam
felicissimos agas annos, atque No-
minis Tui gloriam magis magisque

augeas. Dii, ut annuant votis, ob-
secrat atque obtestatur pio nec non
sincero animo ad Bustum usque et
Aram.

EXCELLENTISSIME ILLUSTRIS-
SIME DOMINE

Devotissimus Auctor.

P R O O E M I U M.


Insigne detrimentum censendum est, quod utriusque Medicinae Cultores, in strictissime universo Ejus ambitu pertractando, totum cardinem ponunt. Etenim non sufficit Medico, elementaris Medicinae notitiam comparare, sed oportet vastissimum Ejus campum obtutui subiicere, ut inde Artis atque Scientiae complemento, consulere discat. Percurrendo vastissimum campum, veterum Medicinae Scriptorum, inveniet multa fru-

gifera, atque memoriae mandatu commen-
dabilia. Sic Artem Chirurgices cum ea
ampla rectitudine exposuerunt Graeci, ut
cuique Artem hanc profitenti, curae cordi-
que esse debet, pertractatio hujusce vete-
rum industriae, ceu monumentum, scitu di-
gnissimum. Perlustrando litteraturam Chi-
rurgices, non possumus non maxima vene-
ratione atque amore prosequi pie observan-
dos Vetustatis Viros, qui artem hanc ada-
marunt, eique studiose incubuerunt, atque
ita excultam nobiscum communicarunt, ut
qui candida mente lectitabunt, praestan-
tiam congestorum, atque exundantissimos
fontes Litteraturae Graecae fuerint mirati.
Quamobrem, nostris quoque temporibus ma-

*nibus atterere, eorumque in Medicina fa-
cienda atque rebus aegrorum procurandis,
consiliis uti, insignes Medici commendare
non cessant. Neque laboribus parcer, nota at-
que familiaria sibi reddere ea, verus utrius-
que Medicinae Cultor, unde novum lumen
cognitionibus suis mutuare, eaqué quae scitu
necessaria, quae juvant, ornant atque com-
mendant Medicum, hercle comparare possit.*

*Mihi autem proposui, in hacce syno-
ptica, praestantiae Chirurgices graecae ex-
positione, culturam in genere, seu ortus
Ejus et progressus penes Graecos, atque
influxum Ejus penes alias gentes, obtutui
lectitantium subiicere, atque amorem inde,
studiumve Litteraturae graecae Chirurgicae,*

*iis, qui progressibus consulere animo ar-
dent, commendare. Ordinem in disseren-
do, qui mihi propior visus est, servavi;
magna ex parte chronologice Materiam
pertractandam suscepi, optimis inde fini-
bus deductis, atque commodis hinc inde in-
terspersis.*



SECTIO PRIMA.

DE ORIGINE CHIRURGICES CEU ARTIS.



C A P U T I.

CUM res agitur de origine Chirurgices, non qualiscunque ea, verum, quae formam Artium induit liberarum, est intelligenda. Hinc generatim sumpta Medicina Mystica, penes antiquissimas Gentes, ceu pars cultus superstes, scopo nostro minus respondit. Attentionem vero nostram meretur, quae intra libertatis cancellos orta est, atque monumentum industriae laboris extitit. Nostrum itaque est, in hacce sectione, primordia Chirurgices ceu Artis, in Graecia quaerenda esse, demonstrare, atque in lucem exponere, Graecos nulli alii genti hancce Artem debere. Opinionem no-

stram ab Antiquissimis Gentibus sumus auspicaturi.

Ægyptii.

Geniis luciferis apparentibus, atque cultura mentis humanae primaeva incipiente, palmam in litteris praeripuisse, *Ægyptii* dicuntur, pro eaque gente tenentur, ubi Artes atque Scientiae primum effloruere. Quanquam inficias ire nolimus, *Historicis* fide dignissimis, minime tamen proferre haesitamus, Artem Chirurgices penes *Ægyptios* penitus incultam latuisse. Etenim utriusque Medicinae *Haeredes* atque *Antistites* erant Sacerdotes, adeoque populo, nonnisi, quae regiminis ergo concessa, alia plane ignota fuit Medicina, quae ceu cultus et arcanum, perscrutantibus illicitum, tenebatur. Angustia mentis humanae praxi Sacerdotum, qualiscunque illa fuerit, obcaecata, effecit, ut populus ignorare maluerit, quam arcana Deorum curiose perscrutari; Hinc, neque quidquam vulgare de ea cogitare, neque praetendere, studio

prosequi eam, moliti sunt. Quod autem, ad mentem Herodotis, Ægyptium quemvis esse Medicum, dicitur; immo quamvis corporis partem, Medicum habuisse specialem; vult sibi effatum hocce Herodotis, quatenus praeceptum erat populo, hanc vel aliam Medicinam, ritus religiosi ergo, adimplere, quavis hebdomade, vel quovis mense ^{a)}; atque haec suppositio eo magis confirmatur, quod per tot saecula, nullum fecerunt progressum Ægyptii in Medicina, quae ceu pars cultus, non autem Artis, penes illos innotuerit, atque morbos sive externas sive internas eas sumamus, per incantationes, incubationes, insomnia, aliasque caerimonias rituales sanabant.

Jam in quo statu fuerit Medicina externa, imprimis manualis, ex pollinctura Ægyptiorum judicium ferre possumus, cuius munere Sacerdotes ordinis inferioris fungebantur. Paraschistites,

^{a)} Sprengels Geschichte der Medicin. Halle, 1821. 1. Theil, p. 89, 102.

sic dicti, seu Prosectores, postquam ad sinistram umbiculi partem inciderant cultro lapideo, statim e domo fugiebant, obruebantur enim lapidibus ab adstantibus, et sic saepe vitam perdiderunt. Implicuisse ergo populo, Cadaverum sectionem, partem Medicinae externae maxime affinem, et Sacerdotes Anatomes ignaros fuisse, liquet.

Quanquam Athotis Rex, quem alii Scriptores pro Thaut et Hermete sumunt ^{b)}, quadraginta duorum librorum Auctor extitisse dicitur, queis nomen Embrem praefixum erat, quorumve sex Anatomen atque instrumenta includebant, haec tamen Historia falsitatem redolet, nam primum a Jamblico libri pro authenticis non habentur ^{c)}; Galenus tanquam spuria ea declaravit ^{d)}; atque Sprengelius, primus in Medicina Historicus, vestigia Anatomes

b) l. c p. 74, 75.

c) De Mysteriis AEgypt. L. 8. c. 4. p. 160.

d) De facult. Medicament. simplic. L. 6. p. 68, 69.

dari, in Historia Ægyptiorum concedit, veruntamen ea esse fabulosa, atque nullius fiduciae, subjungit ^{e)}. Haec gravissimi Viri opinio nititur Historia Ægyptiaca seriorum jam temporum, et quidem Darii, filii Histaspi, qui cum Venatu redierit, distorsione pedis contracta, nullum Ægyptiorum inveniebat, qui morbo mederi potuisset, adeoque Chirurgos Graecos quaerere cogebatur ^{f)}. Neque plane mirandum est; cum enim populus Sacerdotibus et serius Regibus ab ipsis electis, ipsisque annuentibus, regebatur, artis formam utraque Medicina induere nequiiit; hinc nec ulla quidem culturae ejus initia capi potuissent. Frustra igitur moram damus, in inquirendis Artis Chirurgices primordiis, penes Gentem Ægyptiacam ^{g)}.

e) l. c. p. 100.

f) Herodot. L. 3. p. 125. ?

g) l. c. p. 102. Sprengel.

C A P U T II.

Phaenices.

Libris Sanchoniati, si credamus, erat vetustissima gens Phaenices, unde Cabyri, genus humanum Spirituale, originem ducunt, qui Ægyptios atque Pelasgos, cultum Deorum docuerunt, Medicina Mystica in eodem comprehensa. Hae traditiones Historicae, pertinent ad Mythologiam Deorum potius, quam ut quidquam nobis praestare potuissent. Nam, quod de Antiquitate gentis Phaeniceae disserit Historia rerum et factorum, antiquitatis populi notionem, atque Mythi eorum religiosi nobis suppeditat, non autem qualiscunque Artis Medicae, initia. Quanquam octavus Cabyrorum, seu Ismenius Medicinam præ alliis exercuisse dicitur; nihilominus tamen morbis medebatur, Medicinae Mysticae dogmatibus, erat enim e Sacerdotum numero, adeoque modum in morbis sanandis ritualem adhibuit; scilicet, per cantus, insomnia, incubationes, augurationes ope calculi,

aliasque praestigias. Eundem modum morbis medendi, cultui Deorum adnexum, Ægyptiis atque Graecis, ceu Mysteria religiosa Cabyri tradiderunt ^{a)}).

C A P U T III.

Sinenses atque Indi.

Bramani, Samanaei seu Germani, Sophistae, Doctrinam Zoroastri profitentes, atque cultui Numinis consecrati, utriusque Medicinae praxin potiti sunt; hinc cuinam formae accensenda ea est, facile colligitur. Omnium morborum causam, docent esse peccatum, adeoque morbum per expiationem sanandum esse, scilicet, jejunio et eleemosina. Sic, si quis caecitate laborat, ad visum recuperandum sequentia absolvere debet: „Vaccam vel aurum, ut eleemosinam, alicui dare; duodicim Braminos propriis impensis sustentare; confectionem ex seminibus Sesami, melle et Saccharo paratam, in ignem Myries, seu decies millies injicere; pe-

a) Sprengel l. c. p. 61, 71, 58.

dibus nudis templum aliquod adire^a). Harum caerimoniarum qualiscunque, si absoluta ab aegro fuerit, morbum tollere valet; eodem modo sanationem nanciscuntur, calculo, paralisi, aliisve morbis laborantes. Hinc Medicina utraque mere est praestigiosa; neque amplius indagare Artem Chirurgices penes Indos atque Sinenses, quadrat nobis, cum ex praegressis liquet, Medicos caligine superstitione obfuscatos, Medicinae utriusque, rationi quomodo cunque consentaneae, esse ignaros^b).

Quamvis Chirurgiam Universalem exercere dicuntur, haec tamen est instinctus filia, non vero artis, atque inventores suos habet, inferioris classis animalia, ut venesectionis Hippopotatum, Clysmatis Crocodylum, unde penes omnes incultas gentes, inferioris Chirurgi-

a) Stavorinus Reise, p. 102. — Sprengel l. c.
p. 127.

b) Abhandlung über die Geschichte Asiens.
III. Band, p. 151.

ces vestigia deprehendimus. Verum enim vero, cum morbi supra allati, praestigiis, non autem Chirurgices Artis sanantur penes Indos atque Sinenses, primordia ejus, eodem locorum admittere nullis cogimur argumentis; etenim quaeque Ars, quatenus Ars, pars cultus Deorum seu religionis fieri desit, progressui atque mutationibus obnoxia est, nec non cuique ad exercendum lubens proponitur; at plane contrarium penes eas, atque omnes antiquas gentes observamus, ubi Medicina utraque nostris quoque temporibus, in eodem statu, ac olim erat, versatur, atque certae solummodo tribui familiaris est.

C A P U T IV.

Israelitae.

Utraque Medicina penes Israelitas erat negotium Levitarum, qui aegris adventientibus, medelam a Prophetis petebant, quorum auxilium si quis spreverat, iram divinam, quin ipsam mortem mi-

nabantur, quod cum Rege Assa contigit, qui per duos annos podagra laborans, tandem mortem obiit, cum ad verba Prophetarum, ipsis neglectis, Levitarum consilium secutus erat ^{a)}; consistebat autem utraque eorum Medicina, in sacrificiis, precibus adimplendis, atque donariis votivis dedicandis ad morbos tollendos ^{b)}; Quanquam legimus in Historia, moris fuisse apud gentem Israëliticam, Babyloniam, Ægyptiacam, atque Assyriacam, aegros ad vias exponere, atque consilium petere a transeuntibus, quod notionem nobis suppeditat, medendi Artem iisdem gentibus innotuisse; nihilo minus tamen consilia a transeuntibus petitata, non probant, Medicinam ceu Artem Israelitis notam fuisse; si quae enim consilia communicare potuerint transeuntes, ex Historia morbi in templo, vel etiam a Prophetis desumpta erant, quod ex Sacra Historia fusius enucleatur.

a) 2. Chron. p. 16.

b) 5. Mos. v. 28, 58, 59.

Gentibus igitur antiquis, quales sunt Sinenses, Indi, Phaenices atque Ægyptii, Ars Chirurgices plane ignota fuit, atque Medicina utraque, cultus Deorum partem sistebat, in veritate cuius indaganda, Genii aetas manca erat, qui vinculis Myticismi solutis, reformationem suscep-
turus esset.

C A P U T V.

Graeci.

Gloriam hanc gens Helena sibi vindicavit, atque neminem fore existimo, qui hanc laudem, meritaque ipsis deneraret, penes quos Chirurgice ceu Ars, primum innotuerit seu primordia caepit; ubi scilicet primis initiis, remedia exter-
na nunc feliciter, nunc minus pros-
pere adhibita, cuncti notabant, suoque tempore usibus adcomodabant; ubi sic sensim sensimque experimenta augebant. Naturae beneficio et fortuna consiliis annuente, si quis sanitatem, qualisvis ille fuerit, aegro reddiderit, plausu atque

adoratione condecorabatur; hinc Æsculapius divo honore gavisus erat.

Cultissimam Graeciae gentem, Artis Chirurgices initia posuisse, nolumus ex Medicina eorum Mystica, argumenta desumere, quae ubique gentium atque locorum caligine impenetrabili obruta, atque ambagibus confusa est ita, ut in veritate indaganda, potius defecerimus. Hinc, quod fertur de Cadmo Cabyros ex Phaenicia, de Deucalione Curetas seu Corybantes ex Caucaso in Graeciam adduxisse, Graecosve cultum atque Medicinam docuisse, pertinent omnia ad Medicinam Mysticam, ubi Orpheus aliique Heroes-Poëtae, per cantus morbis medebantur. Quare, gravissimorum Virorum auctoritate freti, primordia Chirurgices, ceu Artis, a personis Historicis incipiamus, qui ut Heroes-Medici famam potiti sunt. Heroes Graeci sunt itaque primi, qui inter categoriam Artium Medicinam externam retulerunt, et inprimis: Chiron Centaurus, vixit ante expe-

ditionem Argonautarum, in Thessalia ad montem Pelion, maxime venerandus a Thessalis; erat enim vir justissimus et Arte Chirurgica per celebris, quod patet ex herba Centaurii, quam, sagitta vulneratus, ad vulnus sanandum sibi applicavit. Discipulos non parvi nominis atque ingenii habuit, prae aliis autem Æsculapium, de quo nobis sermo futurus est; Achillem, cuius nomen herba Achillea millefolium fert; Aristeum, qui vulneribus sanandis in insula Ceo incubuerat; quin etiam omnes Heroes Belli Trojani ab ipso educati erant, qui ut Medici et Heroes inclarerunt ^{a)}). Ars ergo Chirurgices originem dicit non a personis Mysticis, quarum praxis, Medicina Mystica restringitur, verum a personis Historicis et quidem Heroibus graecis, qui ad mentem optimorum Historiographorum revera vixerunt, et ad morem saeculi, Herois et Medici munus ambiebant, a quibus Chirurgice, Artis formam induit.

^{a)} Sprengel l. c. p. 159.

**Omnes Heroes, in Arte hac excelluit
Æsculapius, a quo primum solidiora
fundamenta atque Chirurgices Empiricae
formam nacta est.**

SECTIO II.

PROGRESSUS CHIRURGICES EMPIRICAE

A BELLO TROJANO.



C A P U T I.

Æsculapius.

SUMMUS promotor Artis Chirurgices, erat Discipulus Chironis, Æsculapius, qui famam sibi acquisivit, postquam Argonautarum expeditionibus interfuit, ubi Medicinam utramque talem fecisse dicitur, ut non modo aegros sanaret, sed mortuos quoque in vitam revocaret. Hinc post Argonautarum expeditiones, Diis adscriptus, atque divo honore gavisus erat, ob beneficium hominibus in Medicina praestitum. Non cum minori dexteritate Ejus Posteri Artem hanc, feliciter caeptam exercebant, sensim sensimque incrementis ditarunt, effecerunt-

que apud populum, ut majori cultu ipse Æsculapius afficeretur. Nunc templa condita, altaria dedicata, sacra propria instituta, thura incensa, cultus ergo divi Æsculapii; habebat autem circiter octoginta templa sibi dedicata, quorum celeberrimi erant Peloponeso, Epidauro, Pergamo et Argivo; dicebatur quoque Σωτῆρ, ἡπιος, Φιλάνθρωπος, ἐπικέρδιος, πολιτεῖχος, ἡπιοδώτης et caet. Erant autem ex sacris ipsi institutis: τὰ Σωτήρια, Ἐπιδαινικῶν ἡμέρα, τὰ Μεγαλασκληπίεια, ἡ τῆς ἔρασδε αὐτόληψις, τὰ Ἀσκληπίεια et caet. ^{a)}).

Praxis autem Æsculapii erat, qualis initiis cujuscunque artis fieri solet; et enim notitiam Anatomes ob ritus religiosos vix ullam habuit, nisi, quam ex fracturis et luxationibus comparandi, occasio ipsi faveret. Hinc praxis Ejus versabatur potissimum circa vulnera, sagittis inflictis, ulcera sponte nata, et alias corporis laesiones a causis externis mechanicis, vel etiam physicis calore aut

^{a)} Poter. archaeolog. Tom. I. p. 813.

frigore pendentes, medicamentis circa membra positis ^{b)}; totam Materiam Chirurgicam illius temporis tres articuli amplectebantur: Καταπλαστα (Cataplasmata); Χειριστα (Unguenta); πησα seu πόματα (potus) ^{c)}. Hinc Æsculapium morbis externis potissimum medelam fecisse, liquet. A temporibus itaque Belli Trojani, cultura Artis Chirurgicae invaluit, atque ulterioribus progressibus multum contulit.

Merita Æsculapii, si rite considerabimus, famam, quam sibi adscivit non possumus denegare, qua, ut Pater Chirurgices, gavisus erat. Etenim non e numero Sacerdotum erat, qui omnem occasionem populo diripiebant Medicinam exercendi; verum Chirurgicen ceu Artem exercuit, aliis artem hanc commendavit, atque sic solidiora Chirurgices practicae jacuit fundamenta, unde Gale-

b) Apollodor. Biblioth. III. 10. 3. p. 234. — Pythagor. III. 83 seq.

c) Scholion. Eustach. ad II. 4. p. 107. 217.

nus non dubitavit, *Æsculapium esse inventorem Medicinae, proferre*^{d)}; quin immo Medicinam Clinicam, Chirurgicen, Diaeteticen et Pharmaceuticen ab ipso esse exultam, *Hyginus, aliquique statuant*^{e)}; nec immerito Auctor utriusque Medicinae censendus est, nam primus observationem in Medicina commendavit, tabulis introductis, iisdemque historiis morborum inscriptis, unde praxis indies solidior atque rationem propior evaserat. Porro, primus institutor dicendus est, Collegii publici Medici atque Chirurgici; etenim Antistites Ejus, Asclepiadae caeperunt sensim, praeter filios suos, exoticos quoque in Medicina instruere, unde inclaruerunt p[re]e aliis scho[la] Cnidia, Rhodia, Cyrynea atque Coa^{f)}; summe igitur meritus est Chirurgices Pater *Æsculapius, quae ab ipso feliciter*

d) *Introduct. Med. c. l. II. p. 361. Edit. chartes.*

e) *Hygin. c. 274.*

f) *Galen de Meth. med. L. I. c. I. Tom. X. p. 2. — Herod. L. III. p. 213.*

caepita atque commendata, **Heroibus Medicis**, Asclepiadis atque exoticis culta, tandem Artem Scientifico-Practicam proxime evasit.

C A P U T II.

Chirurgice Gymnastica.

Non parum contulerunt Chirurgices progressibus, instituta gymnastica, quae partim exercitii militaris causa, partim vero ob corporis valetudinem, juventus graeca frequentare solebat. Maxima pars hominum ad ludos celeberrimos Olympios, Pythios, Nemeos, et Isthmicos confluens; consistebat autem ludus eorum in certaminibus, cursu, disco, saltu, pugillatu et luctu, Athletarum exercitio. Hinc morbi occurrentes, extra omnem aleam, erant laesiones organicae externae, quarum cura, populo, non autem Sacerdotibus commissa erat. Necessitas autem docuit, quid faciendum sit in diversis laesionum casibus, quibus Aliptae, atque Jatroliptae consulebant. Interdum

evenit, ut Asclepiadae ludis interfuerint, observarintque, morbis sine Mysteriis, seu extra tempa mederi posse, quod maxime contulit occasui Medicinae Mysticae, nec non reformationem in utraque Medicina approximavit.

Merita Aliptarum atque Jatroliptarum Chirurgiae Empiricae praestita, haud exigua sunt censenda; etenim praestigiis Asclepiadarum detraxerunt eam, atque rationi congruenter curas instituendo, ad gradum solidioris Chirurgices evixerunt. Summe igitur meritus est, Chirurgices gymnasticae inventor Ikkus, atque ejus promotor Herodicus Selembriensis, qui erat Philosophus insimul et Pedotribus^{a)}. Haec sunt generaliores periodi progressus Chirurgices practicae, qui aditum Philosophiae ad eam excolendam, procurarunt.


a) Plato Protagor. p. 285. — Lucian de conscrib. Histor. p. 429.

SECTIO III.

CHIRURGICES SCIENTIFICAE

O R I G O.

Causae principales: a) Introductio Philosophiae in Graeciam. b) Dissolutio faederis Pythagorae.



C A P U T I.

Introductio Philosophiae.

DEBET procul dubio originem suam Pythagorae, qui postquam aliena civitate peregrinatus erat, patriam redux, scholam in Insula Crotone instituit, ibique juventutem, curiositate ductam, liberis opinionibus, acutie ingenii, atque ratiociniis de ortu et nexu rerum imbuit. Cum itaque mens humana, contemplationem Macrocosmi in objecto habuerit, notiones imprimis de iis, quae in organismo sano atque morboso fiunt, ex Philosophia inquirebat. Philosophia igitur

posuit fundamenta utriusque Medicinae speculativae, cui assensum Celsus dare non dubitavit, ubi dixit: prima medendi scientia, sapientiae pars habebatur, et morborum curatio et rerum Naturaे contemplatio, sub iisdem Auctoribus nata est^a).

Exposuit autem Doctrinam suam Pythagoras sub duplici forma, quatenus captus vulgi, et quatenus ingenia sublimiora, Naturaे circumspiciendae erant paria. Hinc Discipulos suos divisit in exoticos seu Akismaticos, et esoticos seu Mathematicos, quorum primos de rerum Natura populariter docuit, alteris vero, accepto jurejurando, ne doctrinam divulgassent, res proxime Naturam enucleavit^b). At hocce Mysterium doctrinae esoticae, non longe occultum latuit, et scientiarum excolendarum vastissimum campum aperuit. Morbis medendi, Pythagoras Philosophorum muneri duxit;

a) Cels. praefat. p. 2.

b) Jamblic. vita Pyth. l. p. 78. 84.

ipse autem partim ratione, partim vero
praestigiis Asclepiadarum innuentibus,
Medicinam exercebat ^{a)}.

C A P U T II.

Dissolutio faederis Pythagorhei.

Faederis Pythagorhei dissolutio, maximum habuit influxum, ad initia Chirurgicae Scientiae stabienda; Discipuli esotici, atque Asseclae, modificatis Pythagorae placitis, novas formarunt scholas, atque palam docuerunt, quod Philosophiae pater, nonnisi jurejurando accepto, cum ipsis communicavit. Inter hos autem inclauerunt primum, Alcmeon et Empedocles, qui secundis cadaveribus incubuerunt, aliisque licentiam dederunt ^{b)}; quin etiam teste Plutarcho omnes Philosophi, sectionibus cadaverum, imprimis Animalium, manum applicarunt, unde Ars et Scientia utriusque Medicinae, majorem

a) Sprengel l. c. p. 290.

b) Plin. L. XXIII. c. 2. — Plutarch. de placit. Philos. IV. 16.

sibi amorem in scholis Philosophorum conciliavit ^{a)}; Arcana atque Secreta Medicinae Pythagoreae caeperunt divulgare, de iisque populariter tractare; quam ob causam, triplex ordo Medicorum exorsus est: Asclepiadae, Philosophi et Periodeutae.

Merita Philosophorum, quae Scientiae Chirurgices praestiterunt, magni habenda sunt; etenim Anatomen coluerunt, atque hinc Physiogiam nova luce perfuderunt, quod ex Alcmeonis, Empedoclis, atque Democriti occupationibus, affatim liquet ^{b)}. Hinc Scientifica pars Chirurgices, post faederis Pythagorhei dissolutionem, longe certissima evaserat, nam ex Scientia, quae pollebat Hippocrates, Anatomes atque Chirurgices, concludere licet, Hippocratem jam magnopere eam excultam reperiisse ^{c)}.

a) Plutarch. Pericl. c. 6.

b) Plin. L. XXVIII. c. 8.

c) Vid. Libr. Chirurg. Edit. Foës.

SECTIO IV.

CHIRURGICES SCIENTIFICO-PRACTICAE ORIGO.

Causae principales: a) Asclepiadae Philosophiae vacantes b) Chirurgice Empirica popularis.



C A P U T I.

Studium Philosophiae.

PLACITIS Philosophorum de Universo atque homine alliciti, Philosophiam adamarunt Asclepiadae, eique vacare filiis suis, antequam Mysteriis initiati fuerunt, statuerunt; quo factum est, ut vincula ordinis et vitae ritualis, una cum Medicina Mystica debilitata atque tandem rejecta fuerint. Etenim juniores Asclepiadae, liberis ideis, atque cognitione Naturae imbuti, a Patribus suis recesserunt et arcana sua divulgarunt ^{*)}, cuius

^{*)} Sprengel l. p 343. 353.

rei promotor, princeps erat Hippocrates, qui postquam scholas Philosophorum frequentavit, magno amore, rationibus plane aliis habitis, utramque Medicinam prosequi, novoque niti fundamento sategit ^{a)}.

C A P U T II.
Chirurgice popularis.

Huc referuntur Periodeutae, qui neque Philosophorum speculationibus, neque Mysticismo Asclepiadarum ducti, Medicinam externam exercebant eundem ad modum, ut Aliptae et Jatroliptae in Gymnasiis. Dexteritate autem sua in morbis externis curandis, animum Philosophorum et Sacerdotum attentum reddiderunt, atque insimul docuerunt, se posse morbos sanare, habito ullo respectu ad qualemque Doctrinam speculativam seu Mysticam. Hinc Philosophi scholas, et Asclepiadae templa reliquerunt, atque

a) De decenti ornatu p. 23: Ἰητρός γαρ Φιλόσοφος ἴστοθεος.

populariter utramque Medicinam exercere caeperunt. Inclaruit autem ex Periodeutis Democedes, qui Darii Filii Histaspis pedem distorsam, cui mederi Medici Ægyptii nesciverunt, restituit; ab eodem Regina Atossa, ulceribus Mamuae scyphosis laborans, sanitatem recuperavit, quibus curis celebris factus est Chirurgus ^{a)}; ex Asclepiadis autem Euryphon Cnidius popularem Medicinam faciebat, et inter cetera cauteria actulia in Emphyemate commendavit ^{b)}. Sub tali rerum statu, utraque Chirurgice colebatur, verumtamen partium studio laborabat.

C A P U T III.

Reformator utriusque Medicinae HIPPOCRATES.

Cum itaque utraque Medicina a tripli illo Medicorum genere disceptebatur, tanquam Ars, Scientia et Mysticis-

a) Herodot. V. p. 125. 137.

b) Comment. Hip. Aphor. 7. 44. p. 322. —

Sprengel l. c. 343 et 344.

mus, apparuit ille Lucifer Medicinae utriusque, qui Scientificam ejus partem, in Scholis Philosophorum tractatam, praxi Asclepiadarum in templis exercitiae adnexit, atque sic Theoretico-practica utraque Medicina consarcinata, immortale nomen nactus est. Ante Hippocratis tempora, Chirurgice Mystica, popularis et Scientifica a se invicem divisae extiterant ita quidem, ut Asclepiadae Mysticismo, Periodeutae Empyria, Philosophi autem speculationibus ducti, Chirurgicen fecerint; unicuique sectae Medicorum opus erat dux, qui objectiva atque subjectiva Chirurgices parte coadunatis, unicam sistere Artis et Scientiae Doctrinam docuerit; atque hic erat Hippocrates II, qui observationis et Philosophiae animo imbutus, praxin Sacerdotum, Philosophiae studio junxit, quo facto, famam, qua nemo hactenus gavisus erat, adsecutus est.

Nostrum non est, universum Doctrinae Hippocratis ambitum hisce pa-

gellis pertractare. Hinc, quae proxime Materiam spectant, exponenda officio ducimus. Erat autem Anatomus iis temporibus proprius, ubi scilicet sectio cadaverum humanorum illicita fuit, nisi, quae ex laesionibus externis usibus praœos adcommodare potuerit. — De Arte et Scientia Chirurgices summe meritus est; in externis enim capitis laesionebus, observator diligentissimus extitit; methodos iisdem medendi, et praesagia ex multiplici observatione desumpta, optime exposuit; in auxilio laesionebus ferendo modum, in deligationibus solertiam, in instrumentis applicandis artificium, in describendis studium, quisque Recentiorum, Artis Chirurgices haud expers, miratur. Ex Libris Chirurgicis Hippocratis genuinis sunt: a) L. de Articulis; b) L. de fracturis; c) L. de Vulneribus; d) de officina Chirurgi et Medici; quorum optimam Editionem fecit Anutius Foësius. Genevae 1657 ^a).

a) *Opera omnia Hipp.*


Merita Hippocratis de utraque Medicina p^{re} aliis Medicis inclaruerunt; etenim primus Reformator utriusque Medicinae extitit, ubi ratione atque observatione utendum esse, in morbis curandis primus docuit, atque viam indicavit, ad ulterius percolendum, cum emolumento Artis et Scientiae, studium. Atque hancce viam esse tutissimam, tot tantaeque mutationes, quas utraque Medicina hactenus perpessa est, confirmant, simulque inculcant nobis, Hippocratis premere gressus in utraque Medicina excolenda, unicum esse medium. Porro, in Theoria morborum, respexit partes solidas fluidasve; hinc immerito Humoralistis adnumeratur ad mentem gravissimorum Pathologornm, quorum, si verbis utar, meliora, Theoriae saeculi XVIII pathologicae, plures non offerunt ^{a)}. At neminem fugit, Hippocratem seculo V^{to} et IV^{to} ante N. Chr. vixisse; quantam ergo praestantiam Doctrinae Hippocra-

^{a)} Hartmann. p. 19.

tis, candidi viri agnoscant, cum post XXII saecula, vix ac nevix quidem meliorem offeri profitentur! — Hippocrates primus hactenus vigentem Methodum Antiphlogisticam commendavit. Semiotice, qua sibi, observantiam summam a Practicis nactus est, eruditionis atque observationis maximaे adhucdum monumentum extat. Chirurgiam operativam exercuit; ipsas autem operationes, ad organismi compagem ratione habita, ordine exposuit, indicationibus optime praefixis, atque observationibus practicis annexis.

SECTIO V.

PROGRESSUS CHIRURGICES SCIENTIFICO-PRACTICAE.



C A P U T I.

Dogmatici.

PHILOSOPHIAE Platonis placitis imbuti, Discipuli Hippocratis ab ipso recesserunt, atque scholam Dogmaticam considerunt, cuius cardo, in Medicina Scientifica excolenda versabatur. Hinc observationem in morbis curandis neglexe runt, atque Medicinae exercendae, rationem solam sufficere statuerunt, quibus ratiociniis, incrementis Chirurgices minus contulerunt, fundatores scholae dogmaticae; verumtamen Asseclae eorum, rationi minus fidentes, Doctrinae Hippocratis iterum adhaeserunt, atque fructus uberrimos tulerunt.

Memorandus est nobis in primis Discipulus Platonis Aristoteles, Medicus, Philosophus et Praeceptor Alexandri magni, qui Anatomiae Animalium, cum incubuerit, Chirurgices progressibus maxime contulit, sive eam practicam, sive theoreticam sumamus. Aristoteles primus fuit, qui omnium fere animalium compagem recte indagavit, institutis omnis generis animalium incisionibus, quas post priscos Philosophiae Doctores, cum longe maxima praecisione repetiit. Hinc Anatomes amorem commendavit, atque Chirurgiae operativae exercenda ansam dedit. Praxin Chirurgicam, quamvis non exercuit, observaciones tamen practicas fecit. Sic Vulnera sanatu faciliora esse docuit, aere, quam ferro allata; usus aquae calidae et frigidae nullius esse discriminis in ambustura ^{a)}.

Neque possumus omittere amorem Scientiarum, Discipuli Aristotelis, Ale-

a) Problem 55 et seq. p. 834. — Sprengel L. c. 465.

Xandri magni, qui condita Urbe et Scho-
la sui nominis, eoque loci plantatis om-
nis generis Scientiis, progressibus Ana-
tomes atque Chirurgices summe contu-
lit; factis autem Expeditionibus Orien-
talibus ad Persas, Indos, Ægyptios, at-
que inde allatis mercibus medicinalibus,
supellectilem Chirurgices therapeuticae
ditavit. Tanta protectione, Scientiarum
Promotoris, alliciti Graeci, undique con-
fluebant, atque Anatomen et Chirurgicen
summe percoluerunt, et quidem:

Diocles ex familia Asclepiadarum
Hippocratico-Dogmaticus, primus scrip-
sit librum περὶ Ἀνατομῆς ^{a)}; Chirurgiam
caluit; ferramenta ad tela detrahenda de-
scripsit; repositionem ex coxa ossis
faemoris docuit; primus extitit auctor
περὶ Ἐπιδέσμων ^{b)}.

Praxagoras, e gente Asclepiadarum,
**Diocli coëvus, Hippocratico-Dogmati-
cus**, summa Anatomes laude eminuit.

a) Galen. de Anat. administr. L. II. c. 1. p. 47.

b) Idem. Comm. 3 in Libr. de Artic. p. 615.

Primus vasorum pulsationem observavit, atque vasis pulsantibus, arteriarum nomen praefixit, aëris eas plenas esse, ratiociniis ductus ^a); Hinc semioticae novum lumen accessit, venarum ab arteriis distinctione facta, atque addita de pulsu Doctrina, quae hactenus incognita fuerit. Operator fuit dexterimus; exempli causa, in morbo iliaco, postquam abdomen atque intestina inciderat, stercore detracto, enteroraphiam fecit; Synanchen per apheresin uvae curare suasit ^b).

Herophilus Chalcedonius, Praxagorae discipulus, Ptolomeis jam regnantibus, Anatomiae summe incubuit; humana cadavera, quin etiam teste Tertuliano, viventes homines inciderat, procul dubio, morte damnatos ^c); primus nervorum functionem determinavit, eosque ex Natura seu Autopsia depixit, tametsi de

^{a)} Galen. de dogmat. Hipp. et Platon. L. VI. p. 297. — De dignosc. puls. L. IV. c. 2. p. 160.

^{b)} Cel. Aurel. L. III. c. 17. p. 244. c. 4. p. 192.

^{c)} L. de Anima c. 10.

ortu confusam habuit ideam ^a); In splanchnologia multas fecit detectiones, quorum nomina adhucdum exercitissimi Anatomie retinuerunt, iisdem nomine Auctoris adnexo ^b); Ceterum Doctrina ejus de pulsu atque humoribus, subtilitatibus scatet, quae Asseclis occasionem praebuerunt, dogmatismum relinquere, atque prixin Empiriae superstrui, unde schola Empirica nata est.

Erasistratus Ceus, Chrysippi Cnidii discipulus, Doctrinam Pythagorheam professus est, unde solidorum Pathologis accessit, causam morborum non in humorum corruptela, sed in errore loci quaerens, (*περέμτωσις*) ^c). Hinc propriam morborum et sanitatis theoriam secutus est, in solidis partibus, omne vitae et morborum principio posito. Primus itaque Pathologiae solidorum extitit Auctor, at-

a) Ruffus de Appelat. part. c. 2, l. 2. p. 65. — Galen. de optima secta. p. 16.

b) Сокращенная Анат. Загорского.

c) Galen. de atra bile c. 7. p. 177.

que venesectionem et purgantia ex praxi sua proscripsit. Erat autem Anatomus non parvi nominis, atque multa rectiora Antecessoribus suis delineavit; vasa lactea primum a Herophilo observata, atque distincta, ab Erasistrato nomen nacta sunt, ^a); Chirurgicen exercuit; Catheterem ad urinam educendam primus adhibuit, ^b); Multos habuit Asseclas atque Discipulos.

Haec erat facies Chirurgices ceu Artis et scientiae ante Medicinae dimembrationem. Verum, cum numerus Medicorum, Alexandriae invaluit; Medicina in tres partes diducta erat, quarum una erat, quae victu, altera, quae Medicamentis, tertia quae manu medebatur; primam itaque διαιτητικὴν, alteram φαρμακευτικὴν, tertiam χειρογεγυτικὴν nomine adsignarunt ^c). Dimembratio Medicinae in dieteticen, Pharmaceuticen atque Chirurgicen, culturae Chirurgices, mirum quantum contulit.

^{a)} Sprengel l. 6. p. 536, 542.

^{b)} Galen. introd. c. 13. p. 384.

^{c)} Cels. praefat.

a) Chirurgiae stricte Cultores nominandi:

Philoxenus, scripsit plures libros Chirurgicos, tametsi omnes deperditi sunt ^a).

Heron fecit opus Chirurgicum, quod tamen eadem sors mansit ^b).

Gorgias celeber Chirurgus; in hernia umbilicali aërem contineri, observavit ^c).

Apollonius Mys seu Kittis, scripsit de Articulis, ubi loca Hippocratis observationibus illustravit. ^d)

Demosthenes, celebre opus, de morbis oculorum fecit ^e).

Apollonius de Memphis, opusculum de Articulis scripsit ^f).

b) Mechanurgiae.

Andreas Carystus Machinam luxationi foemoris adaptatam invenit. ^g)

a) Galen. de compos. Medic. sec. loc. lib. p. 208.

b) Cels. L. 7. c. 14.

c) Id. l. c.

d) Erot. L. c. p. 86.

e) Oribas. synops. L. 8. c. 40.

f) Erotian p. 86.

g) Cels. L. 8. c. 20.

Amynthias Rhodius, apparatus fracturae nasi applicatum fabricatus est ^{a)}.
Perigenes de fasciis capitis scripsit ^{b)}.

Nileus Machinae Plinthii est inventor, Luxationi brachii adcomodatae ^{c)}.
Nymphodorus glossocomium fracturis Extremitatum excogitavit, aliamque Machinam luxationibus adaptatam ^{d)}.

Apollonius Ophis seu Ther, circa capitis fascias curam gessit ^{e)}.

Sostratus celeberrimus Lithotomus, in operando calculo, apparatu parvo usus est, eique apparatus deligatorium applicavit ^{f)}.

Ammonius cognomine Lithotomus ferramentum ad calculus findendum invenit, idque commendavit ^{g)}.

Quibus elucet, quantum dimembratio

a) Galen de fasc. p. 593.

b) Id. l. c. 587.

c) Cels. L. 8. c. 20. Orib. de Machin. p. 617.

d) Oribas l. c. p. 625.

e) Galen de fasc. p. 600.

f) Cels. L. 7. c. 14. — Sprengel. I. p. 573, 597.

g) Cels. L. 7. c. 26.

Medicinae, progressibus Chirurgices scientificae atque practicae contulit, in primis Desmurgiae atque Chirurgiae operativae.

C A P U T II.

Empirici.

Disceptationibus Dogmaticorum philosophicis, pertaesи Medici quidam, Doctrinae scepticae adhaesernnt, atque Medicinae studium novis niti fundamentis praetenderunt. Hinc factum est, ut ad morbos curandos, Materiam Medicam, prae aliis Medicinae partibus, necessariam esse duxerint, totumve Medicinae scientificae sistema, Historiae morborum, Autopsiae et Analogiae superstruxerint; serius tripodio hocce Epilogismum subjunixerint. Fata ejusmodi scholae, eadem fuerunt, quae schola dogmatica perpessa est. Etenim Empiricorum Dogmata, per se laudatissima, atque cuique Medico necessaria, in Empiriam rudem tandem permutata sunt. Anatomen plane neglexerunt, atque morbos externos Chirurgia thera-

peutica potissimum tractarunt, unde florente schola Empirica, Materiam Medicum et Chirurgicam practice excoluerunt, eamque nobiscum valore suo non plane destitutam communicarunt. Prae aliis:

Heraclides Tarentinus de compositione Medicamentorum scripsit, atque diversa remedia cutanea commendavit ^{a)}.

Heras Cappadocius, inter caetera de modo Unguenta parandi librum fecit, **Materia Medica praefixa** ^{b)}.

Glaukias primus et ultimus Empiricorum, qui Mechanurgiae incubuit, fasciis capitis emendatis; praeterea alias quoque brachii et claviculae fracturis commendavit. ^{c)}

Si quid emolumenti utrique Medicinae Empirici praestiterunt, in eo situm est, quod virtutes plantarum prae aliis Medicis rite investigarunt, duce observatione atque tentaminibus diversinode in-

a) Galen. de facult. simplic. Medic. L. 6. p. 68.

b) Id. de compos. Medic. sec. loc. L. V. p. 376.

c) Id. de fasc. p. 585, 587, 596.

stitutis, in primis cum plantis, Animalibus et Mineralibus veneniferis et alexipharmacis, unde Theriaca Andromachi, Mithridati regis, Ambrosia Zopyri, aliaque Antidota apparuerunt, quae nostris quoque temporibus, non plane neglecta sunt. Hinc experimentis suis Materiam Medicam et chirurgicam novis pharmacis ditarunt, eorumque usum crebra praxi commendarunt.

C A P U T III.

Methodici.

Ut autem rudis Empiriae, atque subtilissimi dogmatismi Extrema evitarent, rati sunt quidam Medicorum, medium viam in medendo eligere (*Μεθόδος*), sistema utriusque sectae subvertere, atque novam condere scholam. Apparuit Asclepiades Bythinus, non parvi ingenii Medicus, qui placita Philosophiae Epicureae, Doctrinae Medicae applicavit, eamque totam ad duo dogmata redegit, laxum et strictum. Hujus systematis simplicitati

plurimi adsensum dederunt, unde Medicina Methodicorum longe celeberrima primordia caepit. Asseclae sectae Methodicae sensim sensimque ab erroribus in eandem irreptis quantumvis depurgarunt, atque complemento ejus novis dogmatibus consulerunt. Hinc Themison Laodiceus primis duabus communitatibus, tertiam adnexit, unde totum sistema morborum, mixtum, strictum et laxum amplexa sunt. Praeterea Thessalus Trallianus subjunxit cyclum resumptivum seu Metasyncrisin, quae in universa atomorum ad poros transmutatione consistebat, atque morbis chronicis adplicata erat. Primus itaque Asclepiades admisit duas morborum classes, acutorum scilicet et chronicorum; Asseclae autem ejus, ad tres classes eas redegerunt.

Quamvis Systema Methodicorum, perfectitudinem non ambit, merita tamen insignia utriusque Medicinae, Methodici praestiterunt, habito respectu ad generaliora morborum, unde primi No-

sologiae generalis Auctores extiterunt. Quod autem ad praxin eorum refert, diaeta potissimum morbis medebantur; Anatomiam neglexerunt; Chirurgiae autem therapeuticae incubuerunt, nonnulli etiam operatiuae manum applicarunt. Inclaruerunt inter eos: Cornelius Celsus, Graecis merito jure accensendus cum opus Encyclopedicum utriusque Medicinae ex Scriptoribus Graecis excerptis ^a).

Celius Aurelianus, totum Systema Methodicum, p[re]e aliis Auctoribus clare exposuit; in specie autem Doctrinam de communitatibus Chirurgicis contexit ^b).

Asclepiades Bythinus Bronchotomiam in Angina primus commendavit ^c).

Soranus Ephesius optimus Anatomus, de vulneribus capitis eminenter scripsit, eaque primus divisit in Καμάρωσις, Ἐγγείσμα, Ἐμπίσμα, Ἀποσκεπαγνισμός, Ἀπήχημα, Θλάσμα ^d).

a) Cels. de Medic.

b) Galen de optima sect. p. 29.

c) Cael. Aurel. acut. L. III. c. 4. p. 193.

d) Nicet Collect. p. 44. 52.

Philomenus ex Chirurgia obstetricia operationes quasdam descriptsit ^a).

Meges Sidon Chirurgus celebris, instrumentis Lithotomiae adcomodatis inclaruit.

Marinus Anatomus celeberrimus, est primus, qui Nervos in septem paria divisit ^b).

Rufus Marino coaevus, Anatomus exercitissimus; uterque Chirurgiae indirecte consuluit ^c).

Qui autem Materiam Chirurgicam, et Chirurgiam therapeuticam novis additamentis ditarunt, sunt: Asclepiades Pharmacion, Andromachus junior, Dioscorides Pedacius, Pamphilus Migmopolis, Gajus, Zoilus et caet. ^d).

Ex praegressis liquet, Methodicos praxin Chirurgicam minus adamasse; Chi-

a) *AEtius l. c. c. 23. p. 576.*

b) *Galen de Nervor. dissect. p. 205. — Sprengel II. p. 70.*

c) *De Appellat. part. corp. hum. p. 33. Edit. Clianch.*

d) *Sprengel l. c. p. 71 et seq.*

rurgiam vero therapeuticam egregie coluisse, atque nobiscum utilia communicasse, ut Empl. Diachilon et caet.

C A P U T IV.

Ecclectici.

Sub nomine Ecclecticorum comprehendimus Pneumaticos, Episyntheticos, et proprie sic dictos Ecclecticos. Erant autem Medici, qui ex unaquaque schola dogmatibus selectis, novum systema consarcinare, atque sic unitati Medicorum consulere studuerunt. Quomobrem Ecclectici, cum Extrema cujusque scholae evitanda prope duxerunt, insignia Chirurgiae incrementa tulerunt.

Archigenes Apaneus, scholae Ecclecticae Instaurator, praestantissimis Medicis accensetur; erat quoque Chirurgus celebris, scripsit de Amputatione, regulasve exacte exposuit; cauteria in ischia-de commendavit. ^{a)})

a) Suidas Tom. I. p 345, Æt. tetr. 3, sermo 4 c. 3. col. 583. Nicet. collect. p. 155.

Heliodorus, Archigeni coëvus, de vulneribus capitis celebre fecit opusculum, quod nostris quoque temporibus laude et commendatione non destituitur ^{a)}.

Aretaeus Cappadox primus post Hippocratem summi observatoris nomen natus est; fecit etiam opus **Anatomicum** ^{b)}.

Cassius Jatrosophista opusculum **Medicochirurgicum** in questionibus fecit, observationibus practicis adnexis ^{c)}.

Antillus insignia praestitit merita Chirurgiae practicae atque scientificae; primus mentionem fecit de **Cataracta** extra-henda; primus operationem **Bronchotomiae** post **Asclepiadem** repetiit, regulas sanguinis detrahendae optime determinavit; primus regulas conficiendorum **Emplastrorum** et **Unguentorum** rite exposuit ^{d)}.

Philagrius, **Lithotomus insignis**, est-

a) Nicet. collect. p. 86.

b) Sprengel l. c. p. 115.

c) Id. l. c. p. 121.

d) Rhaz. contin. L. II. c. 5. p. 45; fol. Venet. 1506.

Sprengel l. c. p. 127.

que primus, qui apparatus altum commendavit; primus quoque Aneurismatis operationem docuit, regulasve determinavit ^{a)}.

Leonidas Episyntheticus, scripsit de herniis, ubi primus, in protensione, non autem in ruptura peritonei, causam morbi statuit; in fistulis cauteriis usus est; invenit quoque Syringothomum et Dioptram ad Empyema operandum; primus mentionem fecit de ulceribus genitalium et hernia humorali. ^{b)}


Galenus, felix ille genius, Animos dogmaticorum, Empiricorum, Methodicorum et Pneumaticorum conciliare novit, Systemate unico solido, per plura saecula incoccusso stabilito. Ut autem attigerit scopum, Anatomen in usum duxit, atque principium vitae dynamicum, chemicum, mechanicum in sua physiologia amplexus

a) *Æt.* tetr. 3, serm. 3, c. 5, col. 551; tetr. 4, serm. 3, c. 3, col. 745.

b) *Id.* tetr. 4, serm. 2, c. 23, col. 693, serm. 2, col. 688. — *Id.* tetr. 4, serm. 4, c. 13-22, col. 688-692.

est. Eruditionem summam possidebat, ita, ut lectores, eum cum tanta subtilitate de quovis objecto Medicinae utriusque discutientem, mirentur. Chirurgiam exercuit, in primis operativam cum dexteritate intrepida. Scripsit de fracturis, de Articulis, de fasciis, et de officina Medici ^{a)}; praeterea erat polygraphus, atque nullam medicinae partem scriptis suis non auxit. A temporibus Galeni desiit sectarum studium, quae in communem voraginem raptae, corypheos erant distitutae, hinc δόγμα, μέτοδος et επιρρεῖα, in unum collisa, per plura saecula unicum systema prebuere.

^{a)} Opera Galeni Edit. chartes.



SECTIO VI.

PROGRESSUS CHIRURGICES GRAECAE SUB OCCASU SCIENTIARUM.



Non cum eadem assiduitate incubuerant Chirurgiae, post tempora Galeni, tametsi ea non penitus neglecta fuerit. Ævum religiosum, Doctrina Orientalis Astrologica, Mystica, Cabalistica, totam Asiam borealem, atque Europam occidentalem inundavit, atque obfuscavit orbem litterarum, quarum interitui, invasiones Gentium et Bella contribuerunt. Hinc a saeculo III usque saeculum VII, si qui extabant, scientiarum Medicarum Cultores, erant potissimum Compillatores, factis interea propriis observationibus non parvi momenti. Oribasius saeculo III et VI vixit, erat Archiater, atque Librorum 70. Autor extitisse dicitur, quorum 17 tan-

tum supersunt; scripsit Anatomiam, eamque fere totam ex Galeno, Sorano et Rufo excerptis; de apparatu deligatorio, quem ex Heliodoro concinnavit ^{a)}.

Ætius Amidenus saeculo VI vixit, et egregium opus fecit, diaeteticen, pharmaceuticen et chirurgicen complectens, in quo concinnando Dioscoridis, Archigenis, Leonidae, Antylli, Rifi, Galeni, aliorumque laboribus usus est. Editores ejus operis, in libros quatuor digeserunt, quorum unusquisque quatuor sermones continet ^{b)}.

Alexander Trallianus pertinet potius ad Therapeutas; interdum chirurgiae therapeuticae praxin exercuit ^{c)}.

Paulus Æginetta, saeculi VII. Chirurgus, postremus atque summus Chirurgices Graecae Cultor, qui cum gloria artem hancce professus erat, eique sumnum encomium, quâ Chirurgiae Graece,

^{a)} Sprengel II. p. 248. 249. Ed. II.

^{b)} Ætii tetrabiblia. Venetae.

^{c)} Alexand. L. XII. Edit. Stephan.

praestitit; studuit Alexandriae; erat in arte sua exercitissimus, fecit opus Chirurgicum completissimum atque praestantissimum, eamque gloriam suorum temporum adsecutus est, ut neque in multitudine operationum Chirurgicarum, quas descriptsit, neque in modo procedendi, quidquam potuisset desiderari. Cum itaque cyclum Chirurgices Graece claudat, operaे pretium ducimus, paulo latius de ea disserendi, ut videamus ad quemnam gradum perfectionis evexerunt Graeci Chirurgicen, in primis partem ejus operativam ^{a)}.

Ordinem in morbis describendis, fabricae organismi adcommodatum, servavit. Nosologiam Chirurgicam specialem ex Natura seu Autopsia delineavit. Methodos medendi rite determinavit, nunc remediis externis ex Materia Chirurgica depromptis, modo autem ex Mechanurgiae apparatu selectis, prout indolis mor-

a) Totum Systema Chirurgicum Æginetæ. Liber III, IV et VI comprehendit.

bi et fabrica partis postulabat. Multis propriis, iisque gravissimis usus est. Sic in vulneribus capitis trepanationem haud neglexit; operationem staphilomatis, pterigii et hydroptalmiae saepius fecit. Fistulam lacrimalem per inflammationem, ope ferri carentis sanare docuit, facto, pro re, usque cavum narium aditu libero. Cataractam per depressionem operavit, factis antea rite indicationibus, ex mobilitate pupillae depromptis. Polyporum operandi modos, varios proposuit, etiam per ligaturam. In Bronchotomia incidebat longitudinaliter, tertiam inter et quartam cartilaginem tracheae, scalpello rotundo, tum ad cavum tracheae transversaliter aggrediebatur, ut in Angina atque corporibus haeterogeneis. Hernias optime descriptsit, et operationem fecit, ad curam radicalem producendam, ubi aperto sacco hernioso, tunicas scalpello separavit, si adcretae fuerint; atque intestinis in abdomen intrusis, annulum abdominalis per ferrum candens curavit. Litho-

tomiam operatus est per apparatus parvum, ad latus raphae sinistram, ubi facta incisione obliqua, musculos transverse secavit usque vesicam, eaque dissecta, calculum digitis, seu instrumentis extraxit. Apparatus hicce serius innotuit sub nomine apparatus Petiti; Hydrocelis multos species adauxit, atque descriptsit. Eunuchismi, tametsi dementiam hominum vituperavit, operationem pro necessitate suscepere; Paracenthalisin in Ascitide, alio loco suspicere docuit, ubi morbus est protopathicus, alio autem, ubi deuteropathica est affectio. Aneurisma verum et spurium distinxit; haemorrhagias remediis conglutinantibus sistere docuit, quem recentissime Reilius secutus est ^{a)}); Abcessus per cauteria saepius aperuit, etiam jecinoris; fistulas ani per incisionem et supparationem tractavit. Verendarum partium morbos complures observavit, iisque commoda medicamenta proposuit. In Embryulcia, regulas ma-

a) Memorabil. clinic. vol. II. fasc. I. p. I.

nuales rite exposuit. Erat praeterea ob-
servator Naturae praestantissimus, a pre-
judiciis liber. Rachialgiam, colicam pi-
ctonum et Syriasin primus observavit
atque descripsit. Opera ejus maximi
pretii, atque nostris quoque temporibus
aestimanda, edita sunt Basileae 1538. Post
Paulum Æginetam nullus graecorum Au-
tor extitit, qui ob merita Chirurgiae
praestita memorandus esset.

Postquam dignitatem atque utilita-
tem chirurgices graecae consideravimus,
praestantiam, quam sibi meruit, non pos-
sumus denegare. A heroibus graecis coe-
pta ut ars, colebatur penes eandem gen-
tem; Philosophis autem graecis adama-
ta, ad gradum scientiae evecta est; a
practicis et philosophis in unum coadu-
nata, innotuerit ut Ars et Scientia in
eadem Graecia; et tandem affinibus Chi-
rurgiae partibus suffulta, zelo atque in-
dustria ejusdem gentis, gradum summae
perfectionis attigit. Quare, initia, in-
crementa, progressus et culmen Chirur-

gices graecae perlustrando, animus posteritatis, amoris atque admirationis plenus, venerando animo prosequi non cessat gentem illam, quae tot tantaque merita cum in genere Scientiis, tum praecipue utriusque Medicinae praestitit. —

SECTIO VII.

INFLUXUS CHIRURGICES GRAECAE EXTRA GRÆCIÆ LIMITES.



C A P U T I.

Romani.

Nunc videamus, quemnam influxum habuit Chirurgice Graeca apud alias Gentes, et quinam fuerunt Cultores primi penes eas. — Utraque Medicina Romanorum, dicit originem suam a Graecis, sive eam Mysticam, sive ut Artem investigare sumamus. Hetrusci seu Tyrheni, gens Romanorum primordialis, erant aborigines Graecorum, qui jam regnante Remo et Romulo utramque Medicinam exercebant, cuius laudem in Graecia quoque sibi conciliarunt ad verba Theophrasti: Φαερμακώδεις φασὶν ἐναγ χώρας μάλιστα τὴν Τυρρηνίαν. — καὶ γὰρ Ἀιχυλος εν τοῖς ἑλεγεῖσις, ὡς πο-

λιΦαέμακον λέγει τὴν Τυρρηνίαν. — Τυρρηνὸν γενε-
ὰν φαεμακού ἔθνος ^{a)}). Numae Pompilii reg-
no florente, atque Collegio Augurii in-
stituto, Haruspici erant Hetrusci, ubi
Æsculapius quoque venerabatur. Hinc
utraque Medicina Mystica erat ad mo-
dum Graecorum conformata, ubi scili-
cet, Auguria, Haruspicia, Sibillae, ora-
cula in primis Delphi, saluti publicae at-
que privatae consuluerunt, quod ex Hi-
storia Tarquinii patet. Scientiis autem
et Artibus Romae florentibus, utramque
Medicinam colere, animo Romanis non-
erat ^{b)}). Hinc morbos Epidemicos per le-
ctisternia, amburbalia, lustrationes, sup-
plicationes avertere studuerunt, atque
Medicinae praestigiosae magis fidentes,
Deae Febri, Fessoniae, Ossifagae, Carnaliae, aliisve plurimis templo constru-
xerunt. Serioribus jam temporibus, ad-
venae Graeci, Scholas Medicas condi-
derunt, nam omnes Graeci Medicinam

a) Histor. pl. 9. 19.

b) Plin. L. XXIX. c. 1.

calentes, Romae venerabantur, et hono-
ris ergo Asclepiades vocabantur; atque
cum omnes Graeci exularunt, Medicorum
Romae degendi libertas inviolata fuit ^{a)}).
Omnes celeberrimi Medici atque Chirur-
gi, qui famam Romae potiti sunt, erant
Graeci, ut Galenus, Asclepiades, Themis-
son, quibus jure merito Celsus est ac-
censendus; quae enim scripsit de Medi-
cina, suaequae Encyclopaediae, artium ti-
tulo emissae, adnexit, ea omnia ex scri-
ptis Graecis excerptis. Accurata autem
morborum descriptio, eorumque medelae,
non plane eum, Medicinae ignarum fuis-
se docent, erat enim iis temporibus
Romanis mos, ut cum plurimis rebus,
ad doctrinam pertinentibus, Medicinae
etiam stupererent ^{b)}.

a) Plin. L. XXIX. c. 1.

b) Bianconi lettere sopra Celso et eaedem la-
tine p. 51. cf. Fabric. Bibl. c. Ernest. L. II. c. 4.
t. II. p. 36.

C A P U T II.

Arabes.

Cum magna parte orbis terrarum potiti erant Arabes, utilitate Scientiarum ducti, familiares sibi reddere eas sunt moliti. Hinc primum Arabes in Academia Jondisaburiensi Hippocratea Medicinae incubuerant, et temporibus Mohammedis Meccae prixin Medicam exercebant ^{a)}). Superioribus temporibus Medici Graeci Eracum petierunt, ubi munus praceptoris ambiendo, plures, eosque celebres Medicos Arabes instruxerunt ^{b)}). Maximi autem Maecenates Scientiarum erant Chalifa Almansur, condita urbe atque Academia Bagdado, et successor ejus secundus Almamun, qui totam sapientiam Graecorum introduxit, cum Aristotelem, Platonem, Hippocratem, Galenum, in lingua vernacula verti jusserrit ^{c)}). Hinc

a) Abulfarag. l. c. p. 200.

b) Elmacin Histor. Sarac. L. II. c. 4. p. 122.

c) Abulfarag. Chron. Syr. p. 184. — Renaudot de version Arab. p. 166.

Duces Arabum in utraque Medicina erant Graeci; neque quidquam praestitisse, ad ambitum ejus amplificandum, Arabes censendum est, ob leges Alcoranis. Quamvis subtilitatibus philosophicis, utriusque Medicinae complemento contulisse, pretendere potuissent; tantum nihilominus abest ut eam perfectiorem reddiderint, ut potius radicitus subverterint, atque veritatem obfuscant ita, ut postquam posteritati eam tradiderunt, conspurcatam invenerint Posteri, eamque originalem quaesitum, ad primos fontes recurrerint. Quodsi quidam Arabum in Chirurgia inclarerunt, ut Chalef-Abul-Kasem, famam suam debet fontibus Scientiarum, ex quibus hausit.

C A P U T III.

Itali, Galli, Angli atque Germani.

Totam Europam Occidentalem, Scientiis Graecis illuminatam esse, neminem fugit. A seculo VII usque saeculum XI post N. Ch., ubi invasiones et gentium

et sapientiae Orientalis Alchimicae, Magicae, Cabalisticae, Chiromanticae, Astrologicae, lethargo ignorantiae mentem humanam concatenarunt, ubi praeter legere et scribere nihil opus esse existimabatur, morbis consultum erat, ex supellectile **Litteraturae graecae**, Medicamentis praceptisve depromptis ^a); a saeculo XI usque XV. exordia litterarum caeperunt in **Occidente** a **Monachis Cassinensibus** et **Salernitanis**, qui morbis medebantur partim rituali modo, modo autem duce Hippocrate et Galeno ^b). Quanquam Arabistae Doctrinam Arabum commendare moliti fuerint, nihil tamen effecerunt, nam saeculo XIII. Pontifex Honorius III, instauratis plurimis in Italia Universitatibus, lege sancivit, nulos alias sequi Medicinae Doctores, praeter Hippocratem et Galenum, in exercendis ingeniosis ^c);

a) Marcus Aurelius Cassiodorus de institutione divin. litter.

b) Ackermann Histor. Studii Med. Saler. p. 34.

c) Facciolati fasti gymnast. Pataviae. p. l. p. 2.

atque Fridericus II statutis scholae Salernitanae decrevit, ut Magistri in physica, nullos alios praeter authenticos libros Galeni atque Hippocratis interpretarentur ^{a)}; iisdem temporibus apparuerunt libri medici ad mentem Doctorum graecorum concinnati, ut Gariophonti, Cophonis aliorumque ^{b)}). A saeculo XV, capta urbe Constantinopoli, tota Medicina graeca transiit in Occidentem, atque perfudit luce sua Italiam, Galliam, Angliam et Germaniam. Institutis versionibus graecis, atque incenso amore ad studium Litteraturae graecae, caeperunt ulterius prosequi Doctrinam Graecorum medicam, Cultores utriusque Medicinae. Hinc Ætii, Oribasii, Æginetae, Rifi Ephesii, Alexandri Tralliani, aliorumque, quotquot supererant, in linguam vernaculam opera vertenda curarunt. Quibus factum est, quod limpidos fontes utriusque Medicinae primordialis cognoverint, eaque

a) Ackermann Histor. Stud. Med. Saler.

b) Id.

ratione praestantiam ejus adamaverint, ut praeter Medicinam graecam, nullam aliam veritati magis consentaneam esse, professi sint. Quare in Medicina facienda Patres Graecos aemulabantur, atque eorum consilio ducti, observationes proprias circa genium variorum morborum instituerant. Si quae itaque, excolendae utriusque Medicinae Posteri praestiterant, ea omnia debent consilio Hippocratis, cuius honos nomenque, ascendit per totum orbem Litterarum occidentalem. Sat est meminisse Medicinae priscae Rastauratorum Italorum: Nicolai Leoniceni, Joa. Monardi, Hieron. Mercurialis; Gallorum: Joa. Gorrhei, Jacob. Hulieri et Anut. Foësii; Anglorum: Thomae Linaceris; Germanorum: Leon. Fuxii, Joa. Cornari. ^{a)}.

a) Sprengel III. p. 10. Ed. II.

C A P U T IV.

*Influxus Chirurgices graecae Recentissimis
temporibus.*

Magna ex parte Chirurgice Scientifica atque practica nostris quoque temporibus eadem faciem habet, qua eam Patres Graeci condecorarunt. Totum Systema Chirurgices, Virorum non quacunque fama florentium, iisdem fundamentis superstructum, atque eodem ordine dispositum est, quamvis pro tempore et progressu omnium Scientiarum, modificarunt, quae genius saeculi, atque Cultura artis indicavit, depurgata scilicet atque exulta Pathologia Chirurgica, adactis novis Methodis therapeuticis atque Manualibus medendi. Hinc si gravissima hodiernae Chirurgices opera pertractemus, multa ex utraque Chirurgia graeca, commendari ad res aegrorum procurandos invenimus. Exercitissimi, in Scientia amplissimi, atque maxime nobis observandi Viri, ut

Illustriss. Joannes Busch ^{a)}, Boyer ^{b)}, Abernethy ^{c)}, A. Cooper ^{d)}, Richter ^{e)}, Sabatier ^{f)} et Assalini ^{g)}, ipsimet consiliis Chirurgices graecae uti, aliisque commendari in multis occasionibus non aegre ferunt, immo officio ducunt; Recentissima igitur, eaque celeberrima opera Chirurgices, fundamentis Chirurgices graece superstructa sunt. Si quid autem permutarunt, et ab erroribus depurgarunt, non vitio Veterum, sed potius culturae Scientiarum progressivae vertere praeferunt, ubi scilicet Anatomia, Physiologia, Physica et Chimia, magis innoverunt, quam olim. Quare nostris quoque temporibus grata posteritas, prae-

a) Руководство къ преподаванію Хирургіи, 1823.

b) *Traité des Maladies Chirurgicales.*

c) *Surgical and Physiological Essays.*

d) *Essais and Observations in Surgery.*

e) *Anfangsgründe der Wundarzneikunst.*

f) *Medicine Operatoire.*

g) *Manuale di Chirurgia.*

stantiam Chirurgices graecae agnoscit, atque venerari, quos Diis atque Semidiis Majores accensere non haesitarunt, Patres Chirurgices non cessat; immo totam hancce gentem gratia posteritatis dignam, monumentis sinceritatis immortalibus, Gentem, longe cultissimam atque longe humanissimam ^{a)}), cui vix parem Historia nobis exhibit. —

a) Plutarch. c. 5. — Wagners Beitr. zur philosoph. Anthropol. II. Bd. p. 127 — 222.

